

detur fuisse iustus, id est, pugna illa inter milites David et milites Saul, dicente horum duce Abnero: *Surgant pueri, et ludant coram nobis*. Sed fugatus est Abner cum suis a militibus Davidis, et vocatus locus ille *ager robustorum*, II. Reg. II. Talem lusum excitavit inter gentiles et milites Christi diabolus, et fuit hic lusus jucundum mundo spectaculum, vicerunt enim milites Christi, et fugarunt ethnicos.

Atque uti fugato Saulis exercitu David regnum obtinuit; sic fugatis diaboli satellitibus idololatriæ, Christus in mundi regnum obtinuit. Gloriarum videbatur olim Deus in servi sui Job constantia et innocentia, qui nullis plagis dimoveri a charitate poterat. Dixit enim ad Satan: *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus ac timens Deum?* Quia vero longe copiosior ac potentior est Dei gratia in novam legem effusa, ideo magis etiam ea ostendi debuit. Gloriabatur Scipio Africanus, quod inter suos milites haberet trecentos, quorum quilibet eo iubente, de turri se in mare præcipitatus esset, teste Plutarcho, in apophth. Sed quis mortalium numerare unquam potuit, quot ejusmodi milites habuerit Deus, qui injussi pro Deo se tradiderunt exactissimis tormentis? Ex innumeris trecentos alios spectemus. Scribit enim Pontius diaconus, in vita S. Cypriani martyris paulo ante martyrium Cypriani, elibanum calcis a præside accensum, et in ore illius prunas cum thure exhibitas fuisse, ac præsidem dixisse trecentis Christianis: *Eligite ex duobus unum, aut thura hic offerre Jovi, aut in calcem demergi*. Tunc trecenti viri fide armati, se ictu rapidissimo, Christum Dei Filium confitentem, conjecerunt in ignem, et inter vapores calcis pulverem sunt demersi. Nec vero in primitiva tantum Ecclesia tam strenuos milites habuit Christus, habet etiam nunc in Japonia et novo orbe, primis illis martyribus nihilo inferiores. Ibi enim cum anno millesimo sexcentesimo decimo tertio gravis in Christianos exarsisset regis et principum ira ac persecutio, Christiani permulti etiam a prima nobilitate, bonis omnibus exuti, in exilium pulsati sunt. Quam multam non tantum libenter pro Christo pertulere, sed etiam nomina sua gubernatori detulere Christianos se professi: et interea sodalitatem martyrum instituere, cujus prima regula erit: *Si pro fide Christi bona adimantur, hoc spoliū forti et libenti animo tolerato*: secunda: *Pari constantia et animo exilium et mortem pro christianismo excipito*. Id quod reipsa plurimi præstiterunt. Arimæ regulus cædi Christianorum tribunal erexerat, diem dixerat: mox ad viginti Christianorum millia ultro se Arimæ steterunt,

ut se Christianos profiterentur, et martyria tum spectarent, tum obirent. Territus tyrannus cessit, et paucorum nec suum furorem satiavit. Ex illis octo vivos cremari jussit, inter eos erat pater et mater cum filio et filia. Filia Magdalena nomine, virgo viginti annorum, exultans in mediis flammis, carbones ardentes capiti imposuit (quod apud Japones magnæ reverentiæ est signum), ut se prunis illis, quasi purpureis rosis, aut cadentibus carbunculis coronaret. Frater ejus Jacobus duodennis, solitis igne vinculis, prunas quas vicerat, festinus calcans ad matrem pariter ardentem gratulabundus accurrit, terque sanctissima nomina Jesu et Maria contentiori voce inclamans, beatæ matris gaudia cumulans, ad ejus latus exstinctus corrui. Refert Niebraus, in triumphis Jap. I. II. cap. XV.

IV. Ut cælestem suam Jerusalem, hoc martyrum ornamento condecoraret. Quemadmodum enim in regio palatio, lapides alii communes et rudes sunt, e quibus extruuntur muri; alii vero expoliti et in varias figuras incisi, qui ponuntur in frontispiciis portarum ad decorem: ita in cælesti quoque palatio (cujus lapides omnes sunt beati) necessarii erant etiam tales lapides, qui tansionibus et pressuris expoliti, celebriori ponentur loco. Inter alia enim cæli bona, unum est varietas et differentia gloria accidentalis ac præmiæ, sine qua domus illa perfectum decorem non haberet. Unde apostolus, 1. Cor. XV. ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum*. Quare ut aliqui excelsiorem in cælo locum occuparent, et majorem charitatem obtinerent, perpelli debuerunt variis quidem horrendis tormentis et cruciatibus. Quod nullam inter sanctos parit invidiam. Regnum enim cælorum a diebus Joannis Baptistæ vim patitur, ut ait Dominus, Matth. VII. hoc est, prædæ expositum est, qui plus prædari vult, majora discrimina subeat necesse est: qui plures expilare domos, plura sustineat verbera. Ad eminentem in cælo locum destinatus erat Paulus: *Vas electionis est mihi iste*, ait Christus ad amarissimam sed antequam eo collocaretur, dictum est a Christo et hoc: *Ego ostendam illi, quanta oportet eum pro meo nomine pati*, Act. IX.

V. Ut hoc glorioso certamine honoraret milites suos. Tametsi enim martyrium pugnae ultimatae ad Dei gloriam cedunt sibi, tamen interim illi magis quam Deo pugnant. Deus enim servitio nostro non indiget: nos indigemus. In primis quanta est hominum gloria, quod pro Deo suo pati et mori possint? Quid hac re gloriosius excogitari potest? Arbitror sane, si invidia in sanc-

tos angelos cadere posse, fore ut hominibus gloriam hanc inviderent. In scala illa, quam vidit Jacob, Genes. XXVIII. protensam a terra ad cælum, descendebant angeli et ascendebant: quod significabat, angelos nil officii detrectare sive descendendum sit ad obsequium hominum, sive ascendendum ad laudes Deo dicendas: et nunquam non occupari in divino servitio ad exequenda ea, quæ ad gloriam Dei faciunt. Quam ergo exultarent, si per scalam martyrii descendere ad mortem, et inde ad aureolam martyrum possent? At non licet hoc illis: nobis autem licet. Hinc olim Christiani tanta ambitione ad martyrium perrexerunt. De persecutione sub Diocletiano et Maximiliano, scribit Severus, lib. II. « Hac tempestate omni fere sacro martyrum cruore orbis infectus est; quippe gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus ambitionibus appetuntur. » Sic ille.

Denique: *Gloria magna est sequi Dominum*, ait Ecclesia. c. XXIII. Quia ergo Christus pro Ecclesia sanguinem fudit, vult et ipsa pro eo sanguinem fundere, partim ut ipsum hoc pacto imitetur, eique quo modo potest, similis fiat: partim ut compensationem aliquam sponso suo faciat, eique simile monetæ genus rependat. Ratione primi dicebat Sanctus Ignatius cum ad bestias duceretur: *Nunc incipio Christi esse discipulus*. Ratione secundi dixit David: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quas retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam*: illum nimirum de quo Dominus, Matth. XX. *Potestis bibere calicem, etc.* quasi dicat: Cum nihil habeam præstantius quod ipsi retribuam pro tantis bonis, omnia amara et mortem ipsam pro eo libenter sustinebo.

Denique, fructus martyrii incomparabilis est, et ut apostolus loquitur: *Id quod in præsentem momentaneum est et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur*. Quid enim est hoc, quod Christus ait, Luc. XII. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*. Quid hoc? Quod ait S. Cyprianus, in epist. ad mart. et confess. *Sanguinem martyrum flammæ et ignes gehennæ glorioso cruore sopire*. Certum est per martyrium dimitti omnes culpas et pœnas veluti per baptisimum, et pandi cæli januas, sine prævio purgatorio: quod ex passione S. Stephani discere possumus: *Vidit enim cælos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei*, Actor. VII. Unde S. Augustin. serm. XVII. de verbis apostoli ait: *Injuriam facit martyri qui orat pro martyre*: et Tert. apologia ultima: *Omnia huic operi delicta domantur: cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur*. Quid quod eosdem in cælo summa expectat glo-

ria; sicut enim: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*, Joan. XV. ita nemo majorem gloriam.

VI. Ut eorum exemplo cæteros excitaret, ad mandatorum saltem sedulam observationem. Si enim tam innumerabiles martyres, tanto pretio corporum videlicet suorum tam dira dilaceratione, tam promptè et gaudenter emerunt regnum cælorum: quam stolidi sumus nos et quantis versamur in tenebris, si eam suavi mandatorum observatione, sine sanguine emere nobis nolumus? Si videres aliquos pro una margarita mille ducatos pendere: num tu decem pendere nolles? Annon merito timere posses, ne eam mercator præ indignatione tolleret, et nullo amplius pretio tibi daret? Videtur enim mihi Christus instar mercatoris alicujus merces huic mundo pretiosissimas venum exposuisse. Et initio quidem magno pretio vendidit: ad finem vero nundinarum triplo minus exigit, nec tamen emptores invenit. Unde jure timendum, ne tandem indignatus merces suas recondat, et ad alias nundinas transferat.

Itaque evigilemus tandem, vel hoc martyrum exemplo: nec contenti simus simplici mandatorum observantia, sed præterea etiam pro amore Christi spirituale saltem aliquod martyrii genus subeamus, quod sanguine non constat. Triplex nobis ejusmodi martyrium sine ferro, exhibet Bernardus in sententiis, suntque paritas in ubertate, qualis fuit in Davide et Job: largitas in paupertate, qualis in Tobia et vidua: castitas in juventute, qualis in sancto illo Joseph Jacob filio. Magnum quid præstiterimus si aliquod istorum. Ad hæc non desunt nobis hostes intra nos, et extra, quibuscum decertemus: frænemus passiones nostras, iram nostram, propriam voluntatem nostram, sensualitatem nostram, cæterasque cupiditates: sic occidemus nosmetipsos et offeremus Deo in odorem suavitatis gratissimum sacrificium.

CONCIO V.

MARTYRES SPIRITUALES QUI?

I. Martyrium desiderantes. — II. Injuriam patientes. — III. Pauperes. — IV. Virgines. — V. Charitatis opera exercentes. — VI. Qui corpus castigant. — VII. Qui seipsos vincunt.

THEMA.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. XV.

Nostis, auditores, eandem esse naturam et conditionem vitis et palmitum: proinde cum putatur

vitis, putari et palmites, et cum vitis putata fundit quasi lacrymas, lacrymari etiam palmites. Vitem audivimus esse Christum, nos vero esse palmites. Ego si Dominus noster cultro passionis putatus et *abscissus est de terra viventium*, ut loquitur Isaias, si ipse fudit sanguinem: quid superest nisi ut nos, si palmites ejus sumus similiter putemur, et sanguinem fundamus? Audite vitem loquentem ad palmites: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur: et in hodierno evangelio: Omnem palmitem, qui fert fructum (in me) purgabit eum.* Præclarum istiusmodi palmitem hodie celebramus, martyrem Georgium. Sed qua ratione nos sanguinem profundere, et martyres esse possimus? Bono animo simus: *Duo quippe sunt martyrii genera*, inquit S. Gregorius, hom. XXXV. in evang. *unum in mente, aliud in mente simul et actione. Itaque esse martyres possumus etiamsi nullo percussentur ferro trucidemur.* Sic Greg. Eleganter hoc expressum habemus in illa visione facta Zachariæ, cap. 4. ubi vidit virum ascendentem super equum rufum, et post eum equos rufos varios et albos. Vir in quo rufo præcedens Christum: equus rufus humilitatem ejus in passione rubicundam et sanguine repressam denotat. Equi variorum colorum sequentes illum, sanctos representant, qui variis rationibus passionem ejus imitari studebant. *Qui vel martyrio rubri*, ait S. Ambrosius, in symb. apost. tom. IV. *vel sturnini in volatu* (sic enim legit Ambros.) hoc est varii in virtutibus, *vel candidi in virginitate monstrantur.* Ergo martyres esse possumus, tametsi sanguinem non fundimus, id vero, qua ratione fieri queat, videbimus.

I. Per martyrii desiderium, præsertim cum martyrii periculum vel mortis discrimen pro Dei gloria, vel animarum salute adimus. Ratio, quia Deus cor et voluntatem hominis aspicit. Unde ait quidam sanctus doctor: *Quidquid toto corde, tota intentione, toto desiderio vis, id es certissime.* Hac ratione martyr excellentissima fuit Deipara stans sub cruce, quia utique toto corde, tota intentione et toto desiderio desiderabat pati pro, vel cum filio. Eandem ob causam de Sancto Martino canit Ecclesia: *O sacratissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit*, nam (ut multis ostendit S. Bernardus, in ejus festo) inter alia, quod fidem Ariam impugnet, publice virgis cæsus et ejectus fuit: cum gentilis gladium in eum stringeret, nudam cervicem præbuit percussori, etc. Hoc titulo etiam S. Franciscus martyr vocari potest, quia cupiens sibi aliquam dari martyrii occasionem, navigavit in Syriam: ubi tamen a rege Soldano liberalissime tractatus, cum nihil proficeret, re-

diit in Italiam. Ita Sanctus Romualdus, qui martyrii cupiditate flagrans profectus est in Pannoniam; divinitus tamen retractus morbo, quo afflictabatur cum progrediretur, levabatur cum recederet. Ita S. Franciscus Xaverius Indiarum apostolus, qui ardentibus votis optabat, sua morte representare Sinarum salutem, ultima etiam vite discrimina ad Moluccas aliasque regiones barbaras adire non dubitavit. Hi ergo et similes sancti non carnifici defuere, sed defuit illis carnifex, qui martyrii palmam daret.

II. Per patientiam injuriarum Audi S. Gregorium, homil. supra citata: *Ferre contumelias, inquit, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione*: et S. Bernardus de hac patientia loquens ait, lib. de modo bene vivendi, serm. XL. *Sine ferro martyr esse poteris, si patientiam in animo veraciter conservaris.* Ratio est, quia, inquit S. Chrysostomus, homil. XXXI. in Acta: « Durius multo est opprobrium et convicium viro strenuo quam corporis vulnus et plaga: nam hæc præcipue corpus, illud animum transfigit et pungit. » Idque patet in Davide, Job et Christo ipso, quos dæmon ad extremum cum plagis vincere non posset, opprobriis aggressus est velut jaculis fortissimis; Davidem quidem per convicia Semei, Jobum per convicium uxoris Christum per convicia latronis et aliorum dicentium: *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Ergo ejusmodi martyres erant David et Job: ille, quia contumeliis Semei sibi objectis, non modo, non irritabatur, sed potius pasci et delectari videbatur. Dicebat enim: *Dimitte eum ut maledicat juxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac*, II. Reg. XVI. « Contumeliosa verba, inquit S. Greg. I. XXXI. moral. c. XVII. non tam convicia, quam adjutoria credidit, quibus se purgari, sibi que misereri posse judicavit. » Iste, quia stultæ uxoris pessimam imprecationem forti animo pertulit. Aliud exemplum affert S. Gregor. ho. XXXV. citata, de quodam monasterii juxta Reatinæ urbis mœnia constituti patre, sui temporis viro noto, qui tam erat patiens, ut eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud, quam adjutores æstimabat. Ad hunc morientem angelii corporeis oculis ingredi visi sunt. Subdit deinde Gregorius: « Quibus hunc credamus, nisi sanctis martyribus sociatum? Quem attestantibus corporeis quoque oculis, a beatis spiritibus constat esse susceptum. Nullo isto gladio percussos occubuit, et tamen coronam patientiæ, quam

in mente tenuit, in egressione percepit. » Talis Sanctus Stephanus rex Hungariæ, qui æquo animo tulit, imo grâtiâ Deo egit, quando ei barba a pauperibus evulsa fuit, cum divideret eis eleemosynam, ut alibi diximus.

III. Per tolerantiam paupertatis, præsertim voluntarie assumptæ. Sic enim testatur Bernardus, serm. I. in festo omnium sanctorum: « Quid sibi vult, inquit, quod eadem promissio facta est pauperibus et martyribus (quando videlicet Christus dixit: *Beati pauperes spiritu, et beati qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum caelorum*) nisi quia veri martyrii genus paupertas voluntaria est? Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ille appetitus? Annon merito coronabitur, qui sic certaverit, mundum abiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, ut (quod gloriosius est) de seipso triumphans et crucifigens concupiscentiam prurientem? Sic ille. Insignes fuere in hoc genere martyres S. Alexius Romæ, et Joannes Calybita Constantinopoli, qui summa in paupertate ac contemplu vixere ignoti, et precario velut mendici in paternis ædibus amplissimis et ditissimis.

Possunt ad hunc gradum etiam pertingere, quos necessitas pauperes facit, si de necessitate, ut dici solet, faciam virtutem, et de ipsa sua inopia Deo gratias agant. Non minus martyr Isaac, qui passus est se ligari et componi ad mortem, quam si ultro se obtulisset. Ita, qui calamitatem a Deo sibi immisam, prompto excipit animo, martyr vocari potest. Quis enim e spiritualium martyrum numero excludat Lazarum illum mendicum? Quis servulum illum, qui in summa paupertate et doloribus et hymnos Deo canebat, et aliis pauperibus suas eleemosynas communicabat, ut alibi vidimus ex S. Gregorio? Quis Tobiam seniore, qui a Sennacherib fortunis omnibus spoliatus, inops et nudus extra Niniven in latebra vixit? Tob. I. Quis Jobum rebus omnibus exutum, interim Deo gratias agentem? Quis Elisabetham viduam de principatu ejectam cum liberis inopem et contemptam, quæ ita exilium suum et paupertatem adamavit, ut aula paternæ præponeret: ad quam vocata venire noluit? Conradus, in ejus vita.

IV. Virginitatis conservationem. De hac enim S. Hieronymus, epist. VIII. ad Demetriadem scribit: *Habet et pudicitia servata martyrium suum*: et S. Bernardus, in sententiis, martyrium vocat castitatem in juventute. Nec immerito, quia ope-

rosus est et arduum, mortali carne infestissimo spiritus hoste circumdatum, arcem integritatis tueri inconcussam præsertim in juventute, ubi acriora sunt certamina, et rarior victoria. Talis martyr fuit S. Joseph adolescens, cum impuram et impudicam fugit dominam. Chrysostomus ait, magis se mirari factum Josephi, quam tres pueros Hebræos in fornace Babylonica illesos permansisse. Talis Nicetas juvenis ætate florens, qui Decio et Valeriano imperantibus in horto, molli adstrictus lecto, immisæ et sollicitanti se meretrici, linguam morsu præcisam expuit in faciem, ac sic libidinis sensum oppressit: ut scribit S. Hieronymus, in vita S. Pauli Eremitæ, c. III. Talis juvenis fuit S. Bernardus, qui cum aliquando dæmonis instinctu puella nuda in lectum ejus injecta fuisset ad tentandam ejus pudicitiam, ille dissimulans, in latus aliud se convertit, relicto puellæ lecto pene toto, et ita immotus ac quasi saxeus dum jacuit puellam recedere compulit. Alias etiam matronam ad se noctu clam accedentem clamore fugavit: *Latrones, latrones*, exclamans, ut est in ejus vita, l. I. c. III. Talis Franciscus, qui dolo inclusus ad meretricem, in focum se injiciens, mulierem eo ad se vocavit, sicque consternatam terrore simul et pudore affectit. Talis Vincentius ille ex ordine S. Dominici, cui in simili tentatione Victori acclamarent dæmones: *Vicisti, vicisti quia in igne fuisti, et non arsisisti*: uti alibi recensuimus. Talis item juvenis S. Thomas Aquinas, qui immisam ad se mulierculam titione fugavit, etc.

V. Per charitatis opera. Ita enim S. Bernardus, in sententiis, martyrium appellat largitatem in paupertate, qualem habuit Tobias, et vidua evangelica: et Ecclesia adnumerat martyribus eos, qui morbo laborantibus ministrantes ex charitate, eodem afflantur et moriuntur. Sic enim habet in martyrologio Romano, die 28. febr. ubi legis: *Alexandriæ commemoratio sanctorum presbyterorum, diaconorum et aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani imperatoris cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes libentissime mortem oppetere, quos velut martyres religiosorum fides venerari consuevit.* De iisdem illis martyribus scribens S. Dionysius Alexandrinus episcopus, epist. ad Hieracem, ait, illud mortis genus nihil videri a martyrii splendore abesse, apud Baronium, ib. Talis S. Paulinus Nolanus, qui seipsum in servitutem vendidit, ut viduæ filium redimeret, apud Gregorium, l. III. dialog. c. I. et Petrus telonearius, qui ut aliorum inopiam sublevaret, seipsum venum dedit, in vitis patrum. Talis Simon monachus, qui cœnula sua abstinens servabat aliis, ipse in diem interim

passus, apud Evag. hist. eccl. lib. IV. c. XXIII.

VI. Per voluntarias castigationes. Sic enim S. Bernardus testatur, in serm. V. de octava paschæ: *Est martyrii genus, inquit, et quedam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Nec male. Quid enim interest, an carnifex eliciat sanguinem, an tu ex teipso, per disciplinas aliasque castigationes, vel alia ratione corpustuum vexes? Certe non minus fuit Christum ultro sanguinem sudare in monte Oliveti, quam fundere sub flagellis et ictibus licitorum. Quis non dicat martyrem fuisse S. Martinum episcopum, qui nonnisi hispida induebatur veste, nonnisi in nuda humo cilicio injecto consueverat cubare? Sane cum aliquando in quamdam suæ diœcesis villam venisset, et clerici ei lectum de stramine præparasset, et insuetam lecti molliem aversatus, stramentum omne sustulit, et in humum se projiciens dormivit more sibi consueto. Quis non Paulum primum Eremitam, qui a juventute ad centesimum et decimum tertium ætatis annum vixit in eremo, una cum palma et victum præbente et amictum? Quis non anachoretas? Quis non Benedictum, Dominicum loriatum aliosque innumeros, qui cum occasio martyrii deesset, in seipso sævierunt?*

VII. Per assiduum mortificationem et victoriam sui ipsius, cum videlicet contra pravos animi motus quotidie insurgentes, et peccata ipsa pugnamus, nosque ipso immaculatos custodimus ab hoc sæculo. Docet hoc imprimis S. Augustinus, serm. CCL. de tempore, cum ait: «*Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis non deesse:*» et, ser. XXIII. de sanctis: «*Martyr Græce, Latine testis dicitur. Igitur quotiescumque bonis actibus mandatum Christi facimus, toties Christo testimonium perhibemus. Unde et crux Domini non tantum illa dicitur, quæ passionis tempore ligni afflictione construitur: sed et illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. Tota igitur vita christiani hominis, si secundum evangelium vivat, crux est atque martyrium.*» Sic Augustinus. Idem docet S. Chrysostomus, hom. XI. in epist. ad Hebr. c. VI. *Mortifica, inquit, corpus tuum, et crucifige et accipies tu hujus martyrii coronam:* et S. Bernardus, serm. XXX. in Cant. *Genus martyrii est, ait, spiritu facta carnis mortificare.* Idem in sententiis martyrium vocat *parcitatem in ubertate:* et S. Hieronymus, in epitaphio Paulæ ad Eustochium scribens: «*Mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium habet.*» Talis

enim immolat Deo voluntatem et vires suas omnes: mactat passiones suas, etc. Quare sapienter S. Pacomius abbas cuidam monacho ad captandum martyrium egredi volenti respondit: *Frater, monachi certamen fortiter et strenue sustine, et cum vitam tuam nulli reprehensioni affinem ita gesseris ut Christo placeas, habebis in caelis communicationem martyrii, ut in ejus vita. Idem fere respondebat B. Alberto monacho abbas superioris Altahe in Bavaria, petenti licentiam adeundi barbaras gentes, et imbuendi sacris Christi legibus. Respondit enim satis tormentorum habiturum, si ceptum religiosæ exercitationis stadium ad metam usque decurreret: viros religiosos assiduo obedientiæ jugo pressos, diurnis excubiis, nocturnis vigiliis, abstinentia ciborum continentiaque haustos, non minus martyres dici credique posse et debere, quam qui ictu ferri momento temporis, laboribus vitæ brevissimum finem imponunt, etc. Uti refert P. Raderus, in Bav. sancta, p. II. Sic habere possunt conjuges martyrium in suo conjugio, uti S. Monica, quæ difficilem et iracundum maritum patientissime toleravit, nunquam ei dissentiens, nunquam obloquens; et tandem Deo lucrata est. Denique spiritualia hæc martyria: *Tametsi molliora, molestiora tamen sunt quia diuturniora, ut ait S. Bernardus, serm. XXX. in Cant.**

Quando ergo tot viæ sunt sequendi Christum passum, conemur sequi, auditores, pro modulo saltem nostro. Sane illa centum quadraginta quatuor millia sanctorum, Apoc. XIV. dicuntur Joanne sequi Agnum quocumque ierit. *Cur non ergo et nos sequamur Agnum ad aliquem saltem passionis gradum? An nescimus omnes nos Christi milites esse? Sequi igitur ducem debemus. Quid ait apostolus? II. Tim. II. Labora sicut bonus miles Christi Jesu, inquit (pro labora, Græce habetur mala perfer, dura tolera.) Hoc idem sibi dictum, existimet Christianus. Miles, qui nihil molestiæ pertulit, nulli prælio interfuit, nullum vulnus accepit, quanti æstimatur? Annon erubescit coram aliis militibus expertis et probatis? Ita pudeat et nos nulla omnino ratione martyribus æquari. Dux noster: *Vir dolorum est, et sciens infirmitatem;* pudeat ergo nos sub spinoso capite membra inveniri delicata.*

CONCIO VI.

MARTYRES DIABOLI.

I. Infideles. — II. Hæretici. — III. Venefici. — IV. Hypocritæ. — V. Adulatores. — VI. Mundani. — VII. Invidi. — VIII. Coacti mala perpeti. — IX. Male conscii. — X. Interfectores sui.

THEMA.

Sine me nihil potestis facere. Joan. XV.

Legimus III. Regum XVIII. certamen sacrificiorum inter Eliam Dei prophetam et prophetas Baal, ut ostenderent utra pars verum cole-ret Deum. Sumpserunt pseudoprophetae bovem unum, et in frustra concisum rogo imposuerunt, clamaveruntque ad deum suum, quia et lanceis se vulnerarunt direque cruentarunt, ut eorum deus sacrificium acceptare et audire eos vellet: sed nulla dei responsio, nullum acceptabilis sacrificii indicium est ostensum. Concidit ergo Elias quoque bovem suum, et rogo suo imposuit; ad cujus orationem mox descendit ignis de celo, et devoravit victimam una cum rogo universo. Quid hæc re docemur, auditores? Certe videmus Deum habere victimam suam, habere et diabolum suam: Mactarunt Baalita bovem suum, mactavit et Elias suum; illum respuit Deus, istum acceptavit. Ille martyres diaboli significat, iste martyres Dei. Martyres diaboli affligunt, cruciant, mactant bovem suum, id est, carnem suam; sed incassum. Neque enim Deo placent istud faciendo, sed diabolo. Martyres Dei et ipsi mactant corpus suum et odoratur hoc sacrificium Deus. Quæ causa, quia hi in Christo manent, illi vero nequaquam; quibus dicitur in hodierno evangelio: *Sine me nihil potestis facere.* Ergo ne Baalitis illis simile fiamus et fugiamus martyres diaboli.

I. Tales sunt infideles, qui se ad cultum et honorem idolorum vel dæmonum suorum cruciant et affligunt, uti olim Romanorum Vestales, quæ Vestæ deæ ignem perpetuum fovere, et virginitatem servare obligatæ erant, et si qua voti rea deprehendebatur, viva sepeliebatur. Item philosophi gentiles, alioqui, uti Diogenes, qui omnibus deliciis et divitiis spretis, pauperrimus vivere elegit: Crates, qui suas opes in mare abjecit, etc. Item magi Persarum, qui ut auctor est Eubulius, apud S. Hieronymum, in reg. monach. excepta farina et olere in cibo nihil amplius sumebant. Item adolescentes Lacedæmoniorum, qui teste Tertulliano, I. ad martyres, ante aram flagellis cæsi, animam prius inter verbera exhalabant, quam ob corporis dolorem succumberent.

Item qui in Armuzia pagodibus (nationis idola sunt) immolantur: et ipsimet cultris ac novaculis se incidunt, donec ex curru, in quo vehuntur, mortui decendant; et qui de populo sub rotas currum sese ultro conjiciunt et comminuant, quod nihil gratius suis se diis facturos sibi persuadeant, quam si eo lethi genere se mactent iisque sacrificent; ac rursum uxores, quæ viris mortuis vivæ comburebantur una cum defunctis, ut est in hist. societatis p. I. l. IX. n. CLVI. Item sacrificuli gentilium in America, velut Mexicana provincia, qui se contundi faciebant saxis, subulis pedes perforabant, flagellis se concidebant, antequam fides superiore sæculo eo inferretur: item Pecegrini, qui ibidem ex altissimo promontorio in bilancem expositi cogebantur confiteri omnia sua scelera, alioquin e bilance in præcipitium, aliaque horribilia, ut refert Joseph Acosta.

II. Hæretici, qui tametsi alioquin carnis suæ indulgentissimi, subeunt tamen aliqua diaboli martyria, ut cum aliquas faciunt, pro suo tamen placito, abstinentias, velut cum abstinent a carnibus die paschatis et Dominicis, in odium catholicorum: item cum a media quadragesima carnibus se privant, iisque non omnibus, sed bubulis tantum (uti solent facere in quibusdam locis) prout illis spiritus dicitur. Item cum eo audaciæ aliquando abripiuntur ut pro sua secta vitam perdere audeant, quod tamen est rarissimum. Fecerunt id olim Donatistæ summa ambitione mortem oppetentes, et ubi occisor abfuit, necem sibimet quandoque inferentes; quod se vidisse testatur S. August. Similiter in Concilio Constantiensi Joannes Hussius, et Hieronymus Pragensis, qui ibidem flammis exusti sunt ob pertinaciam hæreseos. Qui licet in ipso incendio cantasse ferantur laudes et hymnos, nihilo propterea meliores habendi sunt, quia ut ait de hæreticis S. Cyprianus, in l. de unitate Ecclesiæ: «*Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objectis bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona sed pœna perfidiæ; nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus.*» Rationem prodit S. August. l. I. de serm. Dom. in monte, dum ait: «*Nam multi hæretici nomine christiano animas decipientes, multa talia patiuntur: sed ideo excluduntur ab illa mercede, quia non dictum est tantum: Beati, qui persecutionem patiuntur, sed additam est, propter justitiam: ubi autem sana fides non est, ibi non potest esse justitia quia justus ex fide vivit.*» Idem, ep. CCIV. Donatum hæreticum sic alloquitur: «*Foris ab Ecclesia constitutus et separatus a compage vanitatis et vinculo charitatis, æterno supplicio punieris, etiamsi pro Christ*